



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Prolegomena sex, & duos priores libros De Necessitate Divinæ
Gratiæ Ad Honesta Opera

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1620

Cap. XXVI. Vtrum homo lapsus possit omnia præcepta naturalis diu
servare, vitando omnia peccata, & tentationes omnes illis contrarias, sine
speciali auxilio gratiæ?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94086](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94086)

Cap. XXVI. Vtr homo lapsus possit omnia præcepta naturalia diu, &c. 317

Et præterea gratis asseritur debuisse huiusmodi necessitatem interuenire in omnibus hominibus illius status, vt respondendo ad tertium argumentum iterum dicam. Denique quamuis Adam fuerit tentatus in ea occasione, in qua Deus præsciuit illum consensurum, non ideo dici potest illum non valuisse resistere, siue per libertatem solam, siue per gratiam sufficienter adiuuantem. Ergo similiter licet in homine creato in integra natura sola sine alia gratia, vel cognitione supernaturali, Deus præsciret peccaturum fuisse in tali occasione per liberum arbitrium, non inde inferitur, non potuisse resistere; imo potius sequitur, potuisse saltem physice: & quia de multis etiam potuit Deus præscire non fuisse peccaturum in simili occasione, recte etiam colligitur, omnes potuisse etiam moraliter sine vlla propria gratia adiuuante omnia peccata legi naturali contraria vitare.

Argumenta vero in contrarium facilem habent solutionem. Nam testimonia, quæ in primo asseruntur, tractant de adiutorio necessario ad perseuerandum in gratia, quod nos fatemur, etiam in illo statu verum gratiæ adiutorium esse debuisse, quale autem futurum esset, seu sufficeret, suo loco dicemus. Hic vero agimus de sola obseruantia præceptorum naturalium, de qua est longe dissimilis ratio. Nam perseuerantia in gratia non fit sine aliquo effectu supernaturali, ad quem est necessaria gratia, sola autem obseruatio legis naturalis, & carentia culpæ contrariæ non includit effectum supernaturalem, & ideo propriam gratiam non requirit. Si autem sermo esset de influxu Dei mouentis, seu concurrentis, & de beneficijs Dei ex generali ordine prouenientibus: sic verum est, etiam in statu integræ naturæ perseuerantiam in quocumque bono, & victoriam cuiuscumque mali Deo vt principali auctori esse tribuendam, vt sæpe dictum est.

Ad secundum de tentatione Adam, eiusque victoria, in primis dico, præceptum impositum Adæ, licet materialiter (vt sic dicam) & ex parte rei præceptæ fuerit de actione quadam, seu omissione naturali, seu corporali, nihilominus formaliter fuisse supernaturale, quatenus pendebat ex fide, & obedientia debita Deo vt gubernanti naturam supernaturalem modo, & ex hac parte non poterat seruari sine gratia. Deinde tentatio illa non fuit primo, & per se de solo cibi prohibiti, sed de appetitu similitudinis diuinæ in scientia boni, & mali; imo etiam inuoluebat, tentationem circa fidem debitam verbis Dei, & eius comminationi, ideoque mirum non est quod ad vincendam illam tentationem fuerit necessaria gratia. Neque illud pertinet ad rem, de qua tractamus, quia tentatio illa ad superiorem ordinem gratiæ, quem deo mon per illam euertere conatus est, pertinuit. Accessit, quod Patres ibi citati de perseuerantia in gratia loquuntur, seu ad retinendam iustitiam, vt Augustinus loquitur: & similiter loquuntur de perfecta victoria, & ad vitam æternam fructuosa. Vt patet ex verbis Augustini d. c. 27. lib. 14. de Ciuit. *Adam sicerat institutus, vt si de adiutorio Dei fideret, bonus homo malum angelum vinceret.* Et infra, *Meritum bonum habens in adiuta voluntate recta, malum vero in deserente Deum voluntate peruersa, quia, & ipsum considerare de adiutorio Dei, non posset sine adiutorio Dei.*

Ad tertium concedimus potuisse hominem in natura integra habere cogitationem inclinantem ad peccatum contra legem naturalem, prouenientem, vel ex suggestionem dæmonis, vel alterius hominis, vel ex aliquo obiecto externo excitante illam. Veruntamen talis cogitatio, quatenus esset de se in tentia, & fortis, posset facile per bonum vsum libertatis repelli, vel ad considerationem meliorem intellectum applicando, vel per voluntatem obiectum prauum sic præsentatum respiciendo, quia ante aliquem prauum voluntatis consensum non poterat passio, vel concupiscentia inordinata insurgere, quæ illi voluntatis liberæ vsum difficilem, ne dum impossibi-

Pars I.

lem redderet. Nec refert, quod talis cogitatio anteuertere posset vsum libertatis etiam in illo statu, quia anteuertere sine passione appetitus, & ideo semper maneret integra facultas voluntatis ad sustinendum actum, & applicandum intellectum ad saniores cogitationem, & ita semper maneret integra potestas vitandi similia peccata.

Veruntamen hoc non obstante concedimus, potuisse hominem in illo statu, & occasione consentire malæ cogitationi pro sua libertate. Hinc vero non sequitur fuisse gratiam necessariam in eo statu ad tale peccatum vitandum, non solum semel, sed etiam semper in vna, & eadem persona, quia ille affectus erat contingens, & fortasse in paucioribus, quantum erat ex parte causarum, ideoque facile potuisset in vna, & eadem persona, vel etiam in multis nunquam euenire: quia semper non solum physica, sed etiam moralis integra perseverabat. Probabile autem est, in magna hominum multitudine nunquam fuisse defuturum aliquem, qui a tali bono deficeret, & ita respectu totius multitudinis hominum probabile etiam est, fuisse necessarium speciale gratiæ, & prouidentię adiutorium, vt ex magna hominum multitudine nullus naturalem legem vnquam violaret. Et hoc ad summum illa ratio suadet, estque valde consentaneum mutabilitati humane libertatis suæ commissæ etiam cum illa integritate, quæ non excluderat contingentiam, ad quam veluti necessitate quadam illa varietas in affectibus sequi solet.

CAPVT XXVI.

Virum homo lapsus possit omnia præcepta naturalia diu seruare, vitando omnia peccata, & tentationes omnes illis contrarias sine speciali auxilio gratiæ.

SERMO est de peccatis mortalibus vitandis, nam de venialibus res est certissima etiam cum ordinario auxilio gratiæ non posse omnia simul vitari, vt quæstio, in libris sequentibus dicemus. Præterea tractatur quæstio præcipue de adiutorio actuali Dei, quoniam illud est, quod proxime dat vires ad operandum, an vero habitualis etiam gratia necessaria sit, in fine capitis dicemus. Aliqui ergo ex Scholasticis antiquis dixerunt, posse liberum arbitrium vitare sine gratia maiorem partem peccata contra legem naturæ, etiam collectiue sumpta. Ita loquuntur Durand. in 1. d. 28. q. 3. & 4. & Gabr. q. 1. & Scotus q. vnica, quos aliqui interpretantur de gratia habituali, ita vt non excludant necessitatem auxilij actualis. Veruntamen frustra ita exeusantur, quia licet indistincte de gratia loquantur, & principaliter de habituali quæstionem proponere videantur, nihilominus in discursu necessitatem omnis gratiæ excludunt, & soli naturali libertati post deliberationem intellectus hunc effectum tribuunt. Vt patet ex discursu Scot. contra sententiam D. Tho. & ex Gabriele, qui non solum dicit, gratiam non esse necessariam, sed etiam sufficere naturales vires: & idem sentit Durandus. Rationes etiam, quibus hi authores vtuntur, eo tendunt, vt non fit maior gratia ad collectionem necessariam, quam ad singulos actus, vt maxime in Scoto videlicet: constat autem, eos non postulare gratiam actualem ad singulos actus. Eandem sententiam tenet Almaynus tract. 1. Moral. c. 16. Nam licet indistincte tractet de actibus bonis, in vltimis verbis loquitur de omnibus, & Scotum sequitur, Abulen. etiam in q. 178. in cap. 19. Matth. dum non maiorem gratiam requirit ad collectionem, quam ad singulos actus, in hanc sententiam inclinat, quamuis, vt dixi, ambigue de gratia loquatur. Sicut etiam D. Thom. in 2. dist. 28. q. 1. art. 2. & 3. vbi hanc sententiam probasse videtur.

Solent ad hanc sententiam suadendam quædam Scripturæ testimonia induci, quæ parum momenti prout loca habent suadeant.

Dd 3

habent. Vnum est illud ad Rom. 2. *Naturaliter ea, quæ legi sunt, faciunt.* Sed iam supra dixi, Paulum non dicere, facere omnia, sed indehnite, seu confuse, satisq; vera erit propositio, si aliqua faciant. Aliud testimonium est illud. 1. ad Corinth. 10. *Fidelis Deus, &c.* Sed hoc potius probat, dari nobis adiutorium gratiæ, vt possumus. Aliud est illud Deut. 30. *Mandatum, quod præcipio tibi, non supra te est.* Sed quia ibi est sermo de præcepto dilectionis, dicam de illo commodius in c. 29. Præter hæc testimonia afferuntur rationes sumptæ ex possibilitate mandatorum naturalium, & ex libertate arbitrij, & præcipue vrgetur illa ratio cap. 18. insinuata, quia ex discursu per singulos actus, & occasiones, in quibus vitari potest peccatum, concluditur tota collectio, quæ omnia in superiorib. tacta, & soluta sunt, & in capite sequenti dicendo de homine in puris naturalibus aliquid addemus.

Ratio.

3. Quo pacto sibi contra-ria obiecti-
occurrant.

Quod si contra sententiam hanc obijciantur Conciliorum decreta damnantium Pelagium, eo quod diceret, posse hominem sola libertate absque auxilio gratiæ totā legem seruare, & sine peccato diu vivere. Responderi potest primo loqui Patres de tota lege, quæ ad vitam æternam cōsequendam necessario seruanda est. Hæc autem lex non solum moralia præcepta legis naturæ, sed et fidei, spei, charitatis, & penitentis includit, & totam illam sic intellectam dicebat Pelagius, posse absq; gratia seruari, & omnia peccata, ac tentationes omnes contra illam vitari, seu superari posse. Hoc ergo est, quod damnat Concilia, & Patres. Non vero, quod sola lex naturalis, quantum ad moralia secundum se spectata, possit absq; gratia seruari. Secundo, & cōsequenter responderi potest, Pelagium asseruisse, nō solum posse liberum arbitrium sua virtute vincere omnes tentationes quoad vitandū longō tempore peccatum, sed etiam quoad consequendum fructum vitæ æternæ, & hoc etiam modo posse totam legem naturæ seruare non solum quoad substantiam, sed etiam quoad modum, id est, meritorie, & ex charitate, & hoc etiam est, quod Patres, & Concilia damnant. Dicit autem Scholastici expresse distinguunt obseruationem quoad substantiam tantum, vel etiam quoad modum, & priorem tantum tribuunt libero arbitrio, & ita reijciunt errorem Pelagij: eorum ergo sententia prædictis definitionibus non damnatur, nec comprehenditur.

4. Vera sententia gratiæ viribus distitutum non posse longo tempore resistere omnibus tentationibus, nec vitare omnia peccata mortalia contra legem naturalem, atq; adeo necessariam esse illi gratiam ad obseruanda omnia præcepta legis naturæ, etiam quoad substantiam eorum. Ita docet D. Tho. 1. 2. q. 109. art. 4. & 8. & q. 14. de Verit. art. 12. Caietan. Conrad. & alij scribentes in 1. 2. vbi supr. Magist. in 2. d. 26. 27. & 28. vbi frequentius Theologi, Bonau. Egidi. Richard. Greg. & Capreol. Henricus, quod lib. 5. q. 20. & quod lib. 6. q. 11. Soto 1. de Natur. & grat. cap. 22. Veg. q. 13. de Iustificat. & lib. 12. in Trid. c. 21. & 22. & omnes moderni, qui contra Lutheranos scribunt.

5. Probatur x. Pauli testimoniis.

Probatur primo ex Paulo, nam vbi docet necessitatem gratiæ ad vincenda peccata, & seruandam legem, sepe mentionem facit legis naturalis, & difficultatem, & impossibilitatem seruandi illam magna ex parte constituit in lege fomitis, & concupiscentiæ, quæ certe præceptis moralibus, & naturalibus resistit. Hoc videre licet in epist. ad Rom. præsertim à c. 3. vnde c. 7. ait, *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi menti meæ.* Per legem mentis plane intelligens legem naturalem. Vnde quod addit. *Et captiuum me ducentem in legem peccati,* etiam intelligitur de peccato legi naturali contrario, nam lex peccati, quæ est fomus, ad hoc proxime inclinatur. Act tandem exclamat. *Quis me liberabit &c.* Et respondet. *Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Præterea cap. 8. subiungit, *Quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem.*

Nam hæc infirmitas carnis obseruantiam legis naturalis proxime impedit, & ob hanc causam solet Paulus dicere, legem fuisse occasionem peccati. Imo. 1. ad Corinth. 15. ait. *Virtus vero peccati lex,* & subiungit. *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Iesum Christum,* attribuens gratiæ victoriā concupiscentiæ. Et in eodem sensu dicit. 2. ad Cor. 3. *Littera occidit, spiritus autē viuificat,* per litteram legem intelligēs, per spiritum gratiam, vt late exponit Aug. toto lib. de Spirit. & liter.

Vnde c. 14. & sequentibus optime declarat, prædictas sententias Pauli intelligi non solum de lege veteri, sed etiā de lege naturali, docens, ad quamlibet eorum implendam esse impotens liberum arbitrium post lapsum, auxilio gratiæ delicturum. Primo, quia sæpe reducit Paulus impotentiam illam ad legē, *Non concupisces,* prout generaliter includit omnem concupiscentiam irrationalem, & hoc modo attribuit gratiæ Christi victoriā concupiscentiæ. Secundo quia quod Paulus dixit ad Gal. 2. *Si ex lege iustitia, ergo gratis Christus mortuus est,* non minus concludit, si ad eas, *Si ex lege naturali iustitia;* ergo gratis Christus mortuus est, quam si de lege veteri illud intelligas. Tertio, quia Paulus in epist. ad Rom. non solum Iudæis, sed etiam gentibus ostendere voluit gratiam Christi esse necessariam, & ideo vtroque conuincit, quod suam legem obseruare non valuerint, sed peccatis, & concupiscentijs corruptissimi fuerint, ergo necesse est, vt sub lege non solum scriptam, sed etiam naturalem comprehenderit, quoties dicit legem non iustificare, vel hominem per se non sufficere ad implendam legem. Eandemq; doctrinam habet August. epist. 86. q. 2. & lib. de Natur. & grat. c. 2. & sequentibus, & lib. de Grat. Christi c. 8. & de Grat. & lib. arb. cap. 4. & sæpe alias, & expresse Hieronymus epist. ad Ctesiphonem parum à medio.

Hinc etiam efficaciter probatur nostra sententia testimonijs Conciliorum, & Patrum, quæ supra c. 12. generaliter adducta sunt ad probandum, victoriā tentationum esse ex gratia. In illis enim (vt ibi etiam diximus) saltem docent Concilia non posse liberum arbitrium hominis lapsi inter tot peccandi occasiones, quot in hac vita occurrunt, se immunem à peccato seruare, etiam in his, quæ ad legem naturæ spectant. Tum quia ad hæc maxime inclinatur concupiscentia, & infirmitas ex peccato relicta, ex qua huius auxilij necessitatem colligunt, vt capite præcedenti allegaui. Tum etiam quia loquuntur eodē sensu, quo Paulus, vt ex verbis eorum intelligi potest. Nam Concilium Palæstinum, in vndecimo articulo cogit Pelagium fateri, victoriā tentationum ex adiutorio Dei provenire, vt supra relatū est ex August. epist. 106. loquitur autem illud Concilium de victoriā quoad vitandum peccatum, vt constat ex alijs gestis ab Augustino relatis in proprio lib. art. 21. à nobis relato supra lib. 6. cap. 20. & ex Conc. Mileuit. cap. 3. vbi docet, gratiam esse necessariam ad non peccandum. Verum est, hæc Concilia non dicere expresse esse necessariam ad non peccandum contra legem naturalem, nihilominus tamen multum fauent huic sententiæ. Tum quia non loquuntur de solis fidelibus, sed etiam de infidelibus, qui ordinarie non peccant, nisi contra legem naturalem, & in illis maxime locum habent prædictæ definitiones. Tum etiam quia fundantur sæpe illa Concilia non in hoc, quod peccata aliqua sunt contra legem supernaturalem, sed in lapsu naturæ humanæ, & in infirmitate, quam inde contraxit ad non peccandum, & ad resistendum demoni, etiam in his rebus, & materijs, quæ sunt contra legem naturalem, & concupiscentiæ sensibili conformes. Et hoc modo confirmat eandem veritatem Concilium Trident. sess. 6. cap. 11. & 13. & Hieronym. Dialog. 3. contra Pelagian. Aug. epist. 143. & lib. de Grat. & lib. arbit. c. 11. & sequen. vsque ad 16. & optime Prosper lib. 2. de Vocat. gent. cap. 23. alijs 9. in fine, & Fulg. lib. de Incarnat. & grat. cap. 16.

Atque

Atque ex his satis impugnata, & explosa est prior equalio in fauorem prioris sententiae. Nam ostensum est, licet interdum Patres loquantur de lege tota, vt includit præceptum fidei, & charitatis, nihilominus etiam loqui saepe de illa parte illius legis, quæ pertinet ad solam legem naturalem; imo interdum non de illa integra, sed etiam de particulari præcepto eius, vt de castitate, fortitudine, & similibus. Et simili modo redarguitur ex dictis posterior equalio, quia Paulus, Pontifices, Concilia, & Patres citati non solum loquuntur de obseruatione legis per bonos actus, in quibus locum habere possent interpretatio de bonis actibus pietatis, vel habentibus modum consentaneum fini supernaturali, sed loquuntur etiam de necessitate gratiæ ad non peccandum contra legem naturalem, vt ostendimus, & specialiter sumitur ex epistola Concilij Carthaginen. ad Innocent. & ex rescripto Innocentij, & Concilio Mileuit. cap. 3. & ex locis Hieronymi, & Augustini, & aliorum Patrum, requirunt enim gratiam ad seruandam legem naturæ, ita vt sufficiat ad non peccandum contra eandem legem naturalem: ad hoc autem sufficiunt actus naturales, quibus fiat substantia præcepti, vel omittatur, quod lex vetat.

Confirmari præterea potest hæc veritas ex communi consensu fidelium, quem in suis orationibus declarant, à Deo petendo, ne peccatis, vel tentationibus etiam contra legem naturalem consentiant, vt patet ex oratione Dominica, quam Cyprianus, & alij ita exponunt: ergo omnes sentiunt, se indigere auxilio gratiæ ad non peccandum contra legem naturalem, & vincendas tentationes illi contrarias. Quo argumento vtuntur Augustinus, Prosper, Fulgent, Hieronymus, & Africani Patres, & Pontifices in locis, & epistolis saepe citatis. Habetque argumentum hoc peculiarem vim in presenti puncto, tum quia ex oratione recte colligitur necessitas: ergo oportet, vt hæc gratia sit necessaria sicut ad integram obseruationem præceptorum, vel vt dici solet, ad totam collectionem actuum, quando ad singulos necessaria non est. Vnde supra dicebamus, ideo in singulis esse orandum, quia saltem in singulis est periculum, & incertum est, ubi erit necessitas; ergo signum est, saltem ad totam collectionem omnino esse gratiam necessariam. Tum etiam quia non solum gratia, sed etiam oratio necessaria est, & in præcepto, vt possumus sine peccato perseuerare; ergo signum est, per illam postulari gratiam necessariam ad talem effectum, sicut supra de grauib. tentationibus argumentabamur. Quod si quis obijciat, hanc rationem non habere locum in infidelibus, cum orare non valeant, quando infideles sunt. Dicendum est, imo hac ratione probari, eos in illo statu non posse implere totam legem naturalem, quia nec orare possunt, sicut oportet, ad obtinendum auxilium, quo legem impleant. Neque hoc est inconueniens, quia ex parte Dei paratum habent auxilium, & illis non deest libertas in singulis actibus, qua possint legem implere.

Tandem ratio propria huius necessitatis est, quæ de tentationibus grauib. data est. Nam ex illa resolutione sequitur hæc, quam nunc tradimus, quia tentationes graues contra præcepta legis naturæ non possunt homini mortali in hac vita deesse longo tempore, nisi peculiari Dei auxilio protegatur: sed non potest homo sine gratia, vel vnam grauem tentationem ita vincere, vt peccatum sola libertate euitet: ergo multo minus poterit totam legem naturalem diu sine peccato seruare. Veruntamen licet hæc ratio plane conuincat, supposita conditione generali presentis vite, quæ est, inter graues tentationes versari, nihilominus non est adæquata. Nam licet in longo tempore non occurreret vlla tentatio tam grauis, quæ per liberum arbitrium vinci non posset; nihilominus inter ordinarias tentationes occurrentes militans homo per solum liberum arbitrium, & rationem na-

turalem sine auxilio gratiæ non posset diu omnes illas vincere, quin saepe peccaret, & ita nec posset totam legem naturalem illo tempore seruare, nec omnia peccata contra illam vitare, vt notauimus cap. 18. Et ratio est, quia licet tunc non esset in singulis peccatis vitandis absoluta impossibilitas moralis, esset nihilominus non parua difficultas, in his maximè, in quibus tentatio saltem mediocris urget: & inde insurgeret impossibilitas simpliciter, licet moralis, in perseuerantia, & vniiformitate operandi longo tempore cum eadem integritate cauendi malitiam, & operandi honestatem. Vnde ratio facta de vnaquaque graui tentatione cum proportionem, & maiori vi potest hic applicari. Quia multitudo, & varietas occasionum, & tentationum mediocrium, quæ longo tempore occurrunt, magis augeat difficultatem constanter operandi honeste, & sine lapsu toto illo tempore, quam vnus, & eiusdem tentationis acerbitas continua per aliquot mediocre tempus eandem difficultatem ingerat, quia illa diuturna perseuerantia, & circumspectio in tanta rebus in difficultum varietate magis repugnat immutabilitati, & infirmitati liberi arbitrij effrenata concupiscentia coniuncti. Ergo si victoria vnus tentationis grauis superat moraliter vires liberi arbitrij, magis illas superat diuturna illa innocentia inter tot tentationes, etiam mediocres, de qua ratione dicemus iterum capite sequenti.

Dices. Ergo saltem ille homo, qui nec mediocres tentationes contra legem naturalem multo tempore pateretur, posset sola potestate liberi arbitrij peccata omnia contra legem naturæ vitare, eamque integre seruare. Respondeo, data hypothefi, & loquendo de solis peccatis mortalibus, posse sine incommodo consequens admitti, quia causa adæquata illius impotentia est, quod præcepta legis naturæ non implentur, nec peccata contra illam vitantur sine bello, & pugna contra tentationes præsertim internæ concupiscentiæ, vel superbiæ, quas demon sua industria augeat: ergo cessante hac causa, nihil mirum est, quod cesset actus. Illa tamen hypothefis supponit singularem gratiæ protectionem, sine qua impossibile est homini mortali, & ratione videnti sine tentationibus viuere, & ita illa obseruatio legis naturæ, & peccatorum fuga non esset sine gratiæ Dei protectione, quantum donum perseuerantiæ etiam includit. Dixi autem, loquendo de peccatis mortalibus, quia licet nulla esset tentatio grauius, vel mediocriter inducens ad peccatum mortale, etiam inter leues tentationes contra præcepta, non posset homo suis viribus diu abstinere à venialibus negligentijs, & defectibus, qui sunt veluti connaturales homini mortali. Et respectu talium peccatorum nunquam deesse possunt graues, imo & grauissimæ tentationes, vt in libro sequenti latius dicturi sumus. Et ita nihil superest respondendum ad fundamenta contrariæ sententiæ, præter ea, quæ capite sequenti addemus.

Solet autem interrogari, quam sit certa hæc assertio. In quo omnes Theologi, præsertim moderni, docent, esse certam, & indubitatam, quia contrarium multum accedit ad errorem Pelagij. Difficultas autem est, an simpliciter sit de fide, aliqui enim affirmant propter testimonia Pauli, & Conciliorum, quæ adduximus. Ita sentit Medina ad art. 4. & 8. Diui Thomæ supra citatos, quem nonnulli moderni imitantur. At vero Soto dicto cap. 21. non putat esse de fide, quia testimonia adducta habent aliquam interpretationem non omnino improbabilem, & sequitur Torrens. libro 2. Confessionis Augustinianæ capite 3. Et indicat etiam Valent. 2. tom. disput. 8. quæstione 1. puncto 5. §. 2. quia solum vt opinionem Theologicam illam tradit. Et mihi etiam videtur, non esse simpliciter de fide, quia non inuenio expressam, & specificam Ecclesiæ definitionem huius dogmatis, sub his terminis propofici, scilicet de obseruatione omnium præceptorum legis naturæ solum quoad vitanda peccata

Negantes
posse cum
Dei gratia
vitari pecca-
ta ubi refu-
tando.

illis contraria. Definitiones autem generales supra adductæ habent euasiones supra etiam positæ, quæ licet sufficienter refellantur, non tamen ita euidenter, vt certum de fide sit, hoc particulare dogma sub illa generali definitione contineri. Ideoque satis est, dicere, doctrinam hanc esse conclusionem Theologice adeo certam, vt contraria non solum iam temeraria sit, sed etiam errori proxima. Supererat hoc loco cum Lutheranis disputandum, an homo lapsus possit cum Dei gratia seruare præcepta moralia, nulum graue peccatum contra illa committendo. Sed in hoc nulla est controuersia inter catholicos, nam fides docet, non solum possibile, sed etiam facile esse vitare omnia hæc peccata per auxilium diuinæ gratiæ, & iuxta mensuram eius seruare præcepta: contra hæreticos vero contrarium sentientes videri possunt Bellarmin. lib. 4. de iustificat. à ca. 10. vsque ad finem, & Valent. 2. tom. disp. 8. q. 1. punct. 5. §. 3. & Stapleton. de iustificat. libr. 6. de Perfect. iustitiæ, & in sequenti bus aliqua de hoc puncto dicemus, de dono perseuerantiæ disputando in lib. 10.

CAPVT XXVII.

Vtrum ad seruandam legem naturalem, & vitanda omnia peccata illi contraria longo tempore sit necessaria habitualis gratia, vel fides, aut sufficiat auxilium actuale, & quale illud esse oporteat.

1. **I**N hoc puncto supponimus necessariam esse gratiam actuale auxilij, vel motionis diuinæ per internam aliquam inspirationem, & illuminationem, ita vt sine hoc auxilio, nec gratia ipsa habitualis sufficiat. Probat. primo, quia de hac gratia maxime loquuntur Concilia, & Sancti in præsentia materia, vt supra ostensum est, & in testimonijs allegatis videre licet. Secundo, quia et in homine iustificato ultra habituales gratiam requiritur speciale auxilium diuinæ motionis & protectionis, vt homo custodiat integre totam legem naturæ non solum quoad modum supernaturalem, seu meriti, sed etiam quoad vitandum omnem lapsum, vt aperte tradit Cælestinus in epist. ad Gallos cap. 6. dicens, *Hominem etiam baptis-
matis gratia renouatum idoneum non esse ad superandas dia-
boli insidias, & superandas carnis concupiscentias, nisi per
quotidianum Dei adiutorium perseuerantiam bonæ conuersa-
tionis acceperit.* Idem sumitur ex Concilio Tridentino dicto cap. 11. & 13. & infra tractando de dono perseuerantiæ dicitur, ergo à fortiori requiritur actuale auxilium ad prædictum effectum in quolibet homine non iustificato. Tercio quia quæ homines inducunt ad peccandum contra legem naturæ, actu mouent, & impellunt, vel suadent, quia sine his non est propria tentatio, quæ actu fiat, quia non nisi per huiusmodi actus animæ inferunt. Ergo è contrario soli habitus non satis iuuant ad vincendam tentationem sine actu motione, & influxu diuinæ gratiæ.

2. **E**t hinc obiter inferitur, gratiam necessariam ad hunc effectum, non posse esse solam habituales, quia hæc non dat vires, nec per se inclinat ad actus naturales. Dices. Sariat animam, ergo hoc satis est, vt der vires bene operandi. Respondeo, formaliter sanat animam in ordine ad Deum tollendo culpam, non tamen sanat læsionem inductam per fomitem, & effrenatam concupiscentiam, & ita non tollit per se proxime infirmitatem bene, & constanter operandi, sed indiget auxilio actuale. Secundo inferitur, hanc gratiam necessariam ad hunc effectum non posse consistere in sola cogitatione honesta per ordinarias causas, & obiecta naturalia excitata, quæ tantum consequenter fit congrua per habitudinem ad futurum consensum, quem liberum arbitrium suis viribus

1. illatio ex
dictis.
Habituales
gratiam non
satis esse.
Remouetur
infantia.

2. illatio non
satis esse cogi-
tationem
congruam
naturaliter
excitatam.

præstabit. Quia, vt ostendi, illa non est gratia interna inspirationis, & illuminationis; imo nec est propria gratia, aut beneficium, quod rationem legis, & doctrinæ naturaliter debet, & comparata excedat. Item quia omnes rationes factæ in superioribus capitibus hic procedunt, quia illo modo nec infirmitas naturæ agnoscitur, nec Pelagio contradicitur, quia non ponitur necessitas peccandi, quæ ex peccato originali manet, & sit antecedens in ipsa causa defectibili, & infirma, sed ad summum ponitur necessitas consequens in præsentia Dei, quæ etiam in natura integra esse potuisset.

His ergo positis, primum dubium est, vtum gratia habitualis sit etiam necessaria ad prædictum effectum. In quo prima sententia est affirmans. Videturque esse D. Thomæ 1. 2. q. 109. art. 4. & 8. requirit enim gratiam habituales sanantem naturam, vt homo possit omnia præcepta implere, & omnia peccata vitare. Tenet Vega q. 13. de iustificat. ubi etiam addit, non sufficere auxilium supernaturalem ordinis, si gratia sanctificans, & charitas desit. Et hanc sententiam nunc frequentius sequuntur Theologi. Videturque sumi ex Augustino de Spirit. & liter. cap. 14. & sequentibus, ubi ex professo probat, fidem, quæ per dilectionem operatur, esse necessariam ad seruanda omnia præcepta decalogi, & sine hac gratia etiam legem decalogi esse literam occidentem; at fides, quæ per charitatem operatur, est fides viuæ per charitatem, quæ non est sine gratia sanctificante; ergo hanc gratiam vult esse necessariam ad seruandum decalogum. Et idem sentit libr. 1. de Grat. Christ. cap. 8. ubi ait ad legem implendam necessariam esse gratiam, & iustitiam, quæ, Deo donante, diligendo teneatur. Et de Corrept. & grat. cap. 2. similiter requirit charitatem. Et in epist. 95. cum alijs Episcopis scribit, ad non peccandum non satis esse liberum arbitrium, nisi iuuetur per gratiam, quam dixerat, non esse legem, sed gratiam, qua iustificamur ab iniquitate, & qua saluamur ab infirmitate. Multaque alia de illa gratia dicit, quæ non, nisi in gratiam sanctificantem conueniunt.

Præterea hunc modum loquendi Augustini imitantur Concilia, nam Patres Carthagenf. epist. 90. Per gratiam, qua Christiani sumus, dicunt, liberum arbitrium à concupiscentiarum dominatione liberari. Concilium etiam Mileuit. cap. 3. dicit, gratiam Dei in qua iustificamur, dari non solum in remissionem peccatorum, sed etiam in adiutorium, vt non committantur, & in canone 4. explicat modum, quo adiuuat, præstando nimirum, vt quod faciendum mouerimus, etiam facere diligamus, & addit inferius, *Vt ad faciendam charitatem, scientia non possit insulare.* Vbi satis declarat, gratiam illam esse iustificantem, quia charitatem includit. Et cap. 5. definit, gratiam iustificationis esse ad hunc effectum simpliciter necessariam. Concilium etiam Arausic. cap. 13. dicit, arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, nisi per gratiam baptismi, non posse reparari.

Ex quibus verbis, cæterisque testimonijs hæc sumitur ratio, quia infirmus, nisi prius sanitatem recuperet, non potest firmiter, & constanter ambulare; ergo nec liberum arbitrium per peccatum infirmatum potest constanter bene operari, seruando totam legem, & vincendo concupiscentias, & tentationes omnes; omniaque peccata contraria vitando, nisi prius sanetur, non sanatur autem, nisi per gratiam sanctificantem, vt dixit Concilium Arausic. ergo nec potest illa omnia perficere sine tali gratia. Secunda ratio fit, quia vitatur D. Thomas, nam homo carens gratia sanctificante est in peccato mortali; ergo non habet cor suum firmatum in Deo tãquam in ultimo fine; ergo non potest constanter bene vt creaturis, nec conuenienter ordinare omnes actiones suas, ita vt in illis non sæpe cadat, & ad creaturã potius, quam ad Deum, tanquam ad vltimum finem conuertatur. Quia finem vltimum regulari debent actus humani, vt boni

3. Dub. 1. in
tulo posui,
antequam
tut. etiam
gratia ha-
bitualis
sufficiat
iustitiam
affirm.

4. Etsi autem
dicitur Aug.

4. Item Con-
cilia.

5. etiam per
tentat.